deo confecta huius domini collegae mei cupiens pudorem eripere obieci me in medium et eripiens eam nocte domui suae intactam restitui. Alio quoque tempore inveni mulierem honestae formae errantem in heremo, sed cum interrogaretur a me quomodo in haec loca devenisset, respondit: Meus infelix est maritus, qui debiti fiscalis gratia saepe suspensus et flagellatus ac multimode tentatus cruciatur, quia tamen servatur non ob aliam causam deducitur nisi ut tormenta patiatur. Tres autem nobis filii fuerunt qui pro eodem debito distracti sunt. Ego quoque miserrima quae ad similes poenas requiror de loco ad locum fugiens triduum hic sine cibo duxi. Ego ubi haec audivi miseratus eius duxi illam ad speluncam et reficiens animam eius fame iam collapsam dedi ei .xi. libras pro quibus se et maritum ac filios non solum a servitute sed a suppliciis redimeret et revocatam eam ad civitatem omnes data pecunia liberavit. Tunc presbyter Pafnucius: Ego inquit tale nihil feci, ipsumque secum ducens ad heremum in brevi premisit ad dominum.

De monacho cui dominus lavit pedes.

Quidam nomine Gotfridus in domo clarevallis cum nocte quadam pedes lavisset monachorum et cum clausisset oratorium, erat enim sacrista, apparuit ei salvator linteo praecinctus pelvim in manu tenens et ait: Sede ut lavem tibi pedes, eo quod dudum lavisti pedes meos. Qui cum territus renueret coegit eum flexisque genibus lavit pedes eius et sic disparuit.

Quod thesaurum abscondere peccatum est.

De thesauro abscondito

Quidam decanus valde dives et in infirmitate positus vocavit sacerdotem ut confiteretur et confessus est peccata sua praeter unum quod dixit se non posse dicere, sacerdos autem monebat ut confiteretur sed non potuit confiteri amplius. Tunc missus est per episcopum illius loci ut veniret, et venit ad infirmum inquirens quomodo ei accidit. Qui dixit: Domine omnia peccata mea confessus sum praeter unum quod nullo modo valeo dicere diabolo obstante os meum. Tunc episcopus

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 596, p. 8 – Excerpts from the lives and teachings of the Monastic Fathers (http://www.e-codices.ch/it/csg/0596/8)